



Melus  
MELUS



EUROPAEA FOLIA SECUNDO QUOQUE MENSE LATINE EDITA

Editrix responsalis: Diana LICOPPE - Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan - 1040 BRUXELLIS  
Tel.: 734 55 42.

## FUNDATIO MELISSA

*cur condita sit*


Die 27° m.Iulii a° 1985°, quidem sodales circuli Latini Belgici FUNDATIONEM MELISSAM, statu iuridico praeditam, condiderunt.

Circulus Latinus Belgicus sua sponte crevit post primum seminarium Latinum in Belgio habitum, id est Vestendae m.Augusto anni 1983i. A quo tempore menstruales sessiones habitae sunt, non tantum Bruxellis sed etiam in diversis urbibus locisque, e.g.. Hoegardiae, Lovanii, Lovanii Novi, Montibus, quin etiam in media Arduenna. Nonnulli ex primis sodalibus circulum paulatim deseruerunt, sed reliqui fortes et fideles steterunt, quibus novi mirabiliter strenui se adiunixerunt. Ineunte anno 1984° cogitatio de foliis Latinis periodicis condendis orta est in circulo. Sic evenit ut die 2° mensis Aprilis eiusdem anni primus numerus in lucem ederetur, cui index "MELISSA". Eodem nomine cum designetur nova fundatio nostra, non inutile videtur commemorare cur hoc nomen elegerimus. Vox "Melissa" dulciter resonat et eodem modo variis oribus Europaeis emittitur. Melissa apud Romanos erat nomen proprium cuiusdam nymphae, Graece autem significabat apem. Quod Graecum vocabulum consulto elegimus, ut meminissemus neque linguam Latinam, neque cultum civilem nostrum seiungi posse a litteris Graecis. Apis signum, quod elegimus cum nomine coniungendum, pertinet ad radices etiam antiquiores, quippe quod inveniatur in hieroglyphicis litteris Aegyptiacis.

Hereditatis nostrae respectus sic patefactus non impedit quin propositum nostrum ad futura spectet.

Quod propositum est duplex:

- imprimis rationem linguae Latinae docendae meliorare, omnibus modis paedagogicis technicisque hodiernis
- pariter operam dare ut coaevi nostri latinitatem vivam noscant, ut inveniant sermonem Latinum non tantum nostris temporibus efficaciter omnibus in rebus adhiberi posse, sed etiam summae utilitatis fore ad animam Europaeam in variis Europae gentibus somnolentam tandem expergefaciendam.



Fundationis Melissae sodales conditores sunt hi:  
Marius(Dietmar) ALEXA(Germanus), Maria-Lisa BEAU(Belga), Renildus CAPPELLE(Belga), Catharina DEMERSON (Francogalla), Francisca DERAEDT(Belga), Claudius GERARD(Belga), Corinna, Diana Gaiusque LICOPPE (Belgae), Iulius ROSSIGNOL(Belga), Theodericus SACRE (Belga), Alaenus VAN DIEVOET(Belga), Francina VERMEULEN(Belga), Iacina VERREET(Belga), Lucas WILLEMARCK (Belga). Qui conditores sibi collegas actuosos cooperare poterunt.

Alterum sodalium genus in statutis definitur: sunt homines qui, etsi rebus nostris operam dare non possunt vel nolunt, propositis tamen favere cupiunt, tributum conferendo.

Sodales conditores die 27° m.Iulii Bruxellis congregati octo administratores designaverunt, qui sunt: Renildus CAPPELLE, Francisca DERAEDT, Diana LICOPPE, Gaius LICOPPE, Theodericus SACRE, Alaenus VAN DIEVOET Francina VERMEULEN et Lucas WILLEMARCK.

Cuius consilii administrationis designati sunt

(sequitur p. 9)

# INTER EXIMIOS LATINITATIS VIVAE FAUTORES

JOHANNES - PAULUS BAUER

Professorem Iohannem-Paulum BAUER, strenuissimum latinitatis vivae fautorem et Societatis Latinae vicepraesidem, qui seminario Vestendensi II° et III° interfuit, Melissa vobis interrogavit:

Ubi et quando natus es?

Natus sum anno 1933 Norimbergae. Theodisce Nürnberg, quae urbs in Bavaria septentrionali sita est.

Quibus in scholis studiasti? Didicistine in schola linguam Latinam et Graecam? Amabasne iam tunc temporis linguam Latinam?

Studii in gymnasio celeberrimo quod a Philippo Melanchthonem, homine doctissimo sodalique Lutheri, nomen trahit. Ibi, iuxta disciplinam studiorum tunc temporis vigentem, et -pro dolor- postea mutatam, non tantum linguam Latinam et Graecam, sed etiam Anglicam et Francogalicam addidici. Plurimum linguam Graecam amabam. Amorem linguae Latinae paenultimo et ultimo anno gymnasii magister dilectissimus suscitavit, qui non solum linguas classicas docebat, sed, postmeridianum tempore et sua sponte perpaucis discipulis quorum res intererat, scholam linguae Latinae medii aevi praebuit. Eo docente legimus carmina Archipoetae, scripta S. Thomae Aquinatis, Ottonis Frisingensis, Einhardi. Hisce litteris studens mente et animo comprehendi linguam Latinam verum et genuinum fundamentum cultus civilis Europaei, magis quam linguam Graecam et linguas Neolatinas esse.

Qua in studiorum universitate postea studiasti? Quas in doctrinas incubuisti?

In studiorum universitatibus Monacensi et Romana et Erlangensi iurisprudentiae et theologiae (Lutheranae) pernoscendae studebam; et examinibus iuridicis feli-citer superatis, studia rei oeconomiae adiunxi, quae studia diplomate huius discipline in athenaeo studiorum oeconomicorum Norimbergensi auctus ad bonum fi-nem adduxi.

Quibus muneribus functus es post universitatem?

Per quinque annos officio causidici functus sum. Postea, largitate Societatis Germanicae ad Scientias Litterasque Promovendas conditae, thesim habilitatio-nis, ut aiunt in Germania, exarare valui. Facultas iuri-speritorum in studiorum universitate Erlangensi anno 1972 mihi veniam legendi ius civile, ius mercato-rium, ius laboris, ius privatum internationale contulit. Anno 1975 vocationem ad cathedram iuris oecono-mici in studiorum universitate Saravipontana accepi.

Quomodo et quando ad Latinitatem vivam colendam ad-ductus es?

Non adductus sum in gymnasio, ibi enim scriptores La-tinos et Graecos legimus, at numquam magister nobis Latine locutus est, numquam nobis in mentem venit, ho-mines aliquando sermonem Latinum loquendo usurpavisse. Neque in studiorum universitatibus ullum hominem La-

tine loquentem audivi. Aliquando in actis diurnis Francofordiensibus legi, Patrem quandam Ordinis S. Benedicti linguam Latinam modo linguae vivae docere, et confestim consilium me institutioni eius interfuturum esse cepi. Multis negotiis impediebar quominus hoc consilio starem. Perfacile inellegitis, quanto gau-gaudio ad universitatem Saravipontanam vocatus effec-tus sim, cum audivisset illum Patrem in eodem athea-neo docere. Scholae eius interfui, seminaria latini-tatis vivae participavi, ab eo didici Latine loqui et Latine scribere.

Cur Latinitatem vivam colis et quid de Latinitate exspectas?

Iam ex tempore iuuentutis unio populorum Europaeorum mihi maxime cordi est. Magnos illos homines, qui post stragem belli mundani secundi unionem Europaeam e ruinis aedificabant semper admirabar. Imitemur oportet viros illos doctissimos et humanissimos, qui sae-culis 16o et 17o, fine regnum et confessionum transgredientes, supra fundamentum linguae Latinae societatem vere Europaeam constituerunt. Cur fieri non potest ut nova Europa vincuo communi latinitatis contineatur? Si eos, qui rerum potiuntur, convincere desideramus, omnino necessarium est ut nos, cultores et fautores latinitatis, eis bonum exemplum praebeamus. Officia exsequens coactus sum praeter Theodisca scripta Anglica, Francogallica, Italica, Batavica le-gere; in conventibus iurisperitorum participantes tres minimum linguas adhibere solent. Poteritne fieri ut homines docti iterum una voce loquantur sicut olim, tempore quo Erasmus aut Hugo Grosius floruerunt, omnium usus erat? Nonne possumus linguam Latinam nova vita imbuere? Latinitatem vivam colo, quia linguam Latinam amo, quia Europam humanisticam diligo, quia unionem populorum Europaeorum desidero.

Quid censes de hodierna ratione linguae Latina docen-dae?

Hodierna ratio linguae Latinae docendae et in studio-rum universitatibus et in gymnasiis, sententia mea, nimis ad studium linguae classicae coarctatur. Studentes non nisi textus aureae vel saltem argenteae latinitatis legere et interpretari discunt, et id so-lum quod didicerunt, discipulis in gymnasiis tradunt. Ea de causa paene omnibus persuasum est, linguam Latinam mortuam esse, sicut lingua Aegyptorum anti-quorum omnino mortua est. Professores studiorum Latini-norum hodierni plus periti sunt cultus civilis anti-quitatis quam linguae Latinae, Ciceronem colunt, Erasmus negligunt. Ingentem thesaurum scriptorum medi-aevi et temporis renascentium litterarum praetermit-tunt; vertunt revertuntque unamquamque sententiolam Vergilianam sed sperrunt opus philosophorum, iurisperitorum, rerum scriptorum.

Si tibi facultas data esset, quid in institutione Latina mutares?

In gymnasiis paululum rationem docendi mutarem, ita ut magistri cum discipulis suis per partem saltem scholarum Latinae colloquerentur. Seminaria Latinitatis vivae id fieri posse facile demonstrant. Mutarem etiam canonem scriptorum quorum opera legenda sunt.

Discipuli qui examen maius Latinitatis superare cupiunt et textus medii aevi et temporis renascentium litterarum et non poetarum tantum carmina sed etiam

philosophorum et peritorum scientiarum naturalium liberos legere debent. Quod attinet ad institutionem universitariam, professores rogarem, ut acroases lingua Latina fiant et ut studia ad totam latinitatem, id est a primis cunabulis usque ad encyclicas Romanorum Pontificum extendantur. Id quod ea de causa facilius fieri potest, quod multi studentes hodie non iam linguae Latinae simul ac linguae Graecae student, sed studia Latina cum studiis linguae modernae, e. g. Francogallicae vel Anglicae coniungunt.

# LEGES EUROPAEAE

## TOMUS PRIMUS

STATUTA CONSILII EUROPAE  
NEC NON  
CONVENTIO EUROPAEA AD IURA  
HOMINIS ET LIBERTATES  
FUNDAMENTALES DEFENDENDAS INITA

TEXTUS QUADRILINGUES  
ANGLICUS FRANCOGALLO-CHEOTISCUS  
atque primum omnium  
LATINUS

in Latinum verterunt  
JOHANNES PAULUS BAUER  
GUNTERUS NIEDERÄNDER

SUB AUSPICIIS SOCIETATIS LATINAЕ  
SARAVIPONTI  
ANNO MDCCCCLXXXV

Professor Johannes-Paulus BAUER modo in lucem edidit librum, qui pertinet ad Europam confoederandam et ubi inveniuntur vocabula Latina diligentissime selecta, quibus exprimi possunt cogitationes politicae internationales hodiernae. De quo opere Melissa eum vobis interrogavit:

modo in lucem edidisti cum Gunthero Niederländer translationem Latinam Statutorum Consilii Europae et Conventionis Europaea ad Iura Hominis et Libertates Fundamentales Tuendas initiae. Cur hoc opus fecisti? Quid in hoc opere faciendo difficillimum vobis fuit?

Probare volumus linguam Latinam aptam esse ad res nostri saeculi accuratissime et sermone satis culto describendas. Textus iuridicos ad vertendum selegimus, quia sermo Latinus usque ad finem saeculi praeteriti sermo quasi patrius iurisperitorum erat; leges Europaeas, quia fortasse plurium lectorum intersit scire, quales sint fundamenta iuridica Communitatis Europaea. Difficillimum nobis fuit vocabula invenire, quibus res novae satis exakte et satis Latine significari possent. In lingua aureae Latinitatis "Res Publica" non idem est ac "l'Etat" in lingua hodierna. Romani antiqui homines magis colebant quam institutiones, ea de causa substantiva quibus institutiones indicamus saepe sunt senioris Latinitatis et aures



vel oculi puristarum facile offenduntur, si "le Gouvernement" vocabulo medievali "Gubernium" reddatur. At nunc temporis homines fungibles sunt, institutiones manent; "le Gouvernement de la République Fédérale d'Allemagne" in lingua iuridica non sunt ii homines, qui casu suffragiorum rem publicam Germanicam moderantur, sed institutio ipsa, quae iuxta normas Constitutionis immunis a vicissitudinibus politicis maneat oportet. Spero fore, ut de huiusmodi difficultibus fusius agam in commentariolo quod praeparatus sum.

Qui fuerunt vestri fontes vocabulorum adhibendorum in rebus politicis et iuridicis hodiernis?

Multa vocabula nova invenimus in Codice Iuris Canonici, in recentioribus litteris encyclicis Pontificum Romanorum, in Constitutionibus Consilii Vaticani Secundi. Adhuc lingua Latina est lingua universalis Ecclesiae Catholicae Romanae; scripta Vaticana saepe agunt de conditionibus politicis et oeconomicis nostri saeculi. Codex Iuris Canonici et antiquus et recens multas regulas iuridicas ad usum modernum aptatas continet. Haec omnia et magistris et studiosis linguae Latinae paene ignota sunt.

Quid praeparas in futurum, quos labores Latinos suscepturus es?

Una cum Gunthero Niederländer iam coepi Tomum Secundum Legum Europaearum praeparare, quo Summam Iurum Socialium Europeam, id est "la Charte Sociale Européenne" in linguam Latinam vertere et textum quattuor linguis, introductione historica auctum, publico proposituri sumus. Ego ipse iam per plures annos multis laboribus id studeo, ut vocabularium latinitatis Vaticanae conficiam, quo non solum neologismi sed etiam modi scribendi, quae ad "Stilum Curiae" pertinent, contineantur. Mihi cordi est, et versiones in lingua Italicam adhibere, quantas invenire valui, quia mihi notum est saepe, antiquioribus temporibus saltem, linea menta documentorum officialium Italice exarata esse, ita ut difficultates linguae Latinae interdum melius superare possumus, si textus Italicus nobis notus est.

# DE INSTITUTIONE LATINA IN SCHOLIS

Operam dare ad institutionem Latinam in scholis meliorem reddendam pertinet ad Fundationis Melissae proposita. Quare maximo cum gudio litteras accepimus a Professore Vidone Angelino missas, quibus demonstrat quanti momenti sit institutio Latina in scholis et nuntiat se novam methodum excogitavisse ad docendam et descendam linguam Latinam "vivam".

Qua occasione data in forum etiam vocabimus non nullos docentes, qui latinitati vivaे favent, ut suam sententiam dicant de renovanda institutione Latina. Forum opiniones divulgabuntur partim in hoc numero, partim in sequentibus, loci egestatis causa.

VIDO ANGELINO SCRIPSIT HAEC:

Hodie multa scribuntur et proponuntur de Latino vivo: fiat magnificum si incipiat tandem, in Eurovisione, transmissio eurodiurni Latini: per decem minuta, quotidie, nuntia "essentialia" et quae ad cunctos populos Europae pertineant, expressa Latino translucido et simplicissimo; et magnificum fiat si incipient edi diurna Latina, si offerantur in theatris et cinematographis spectacula, quorum actores loquantur planissimo Latino; sit magnificum si fiant magis magisque frequentes feriae Latinae vel Seminaria Latina (in quibus, per unam hebdomadam, participes loquuntur solummodo Latine et disserunt active de Latino vivo, quae feriae et Seminaria efficiunt ut et professores et discipuli et amatores qui ea frequentant, cum suo ingenti stupore animadvertant, paucis illis diebus, se revera incepisse adhibere linguam Latinam, utique simplicissimam at legitimam, quae vero sit, brevi tempore, futura etiam atque etiam locuples et expedita in eorum oribus).

At mihi nos latinistae videmur nimis parum cogitare de scholis, quae contra mihi videntur, in hac quaestione, habere momentum et pondus maximum.

Cogitemus quid sit eventurum si in omnibus scholis humanisticis, sive Europae sive Americae, incipiat tandem aliquando doceri lingua Latina tamquam lingua viva, id est eadem methodo qua professores docent linguas hodiernas, miscentes callide, in primis explicationibus, linguam patriam et linguam Latinam, docentes primas locutiones assuetas Latinas, offerentes discipulis primos simplicissimos dialogos Latinos, allicientes quam citissime discipulos ad se exprimendos et ipsos simplici et plena lingua Latina "colloquiali".

Primus fructus maximi ponderis hic sit: exoriarunt hoc modo ingens sodalitas Latina, id est innumera turba quae loquatur "vive" Latinum, quae res est condicio sine qua non ut aliqua lingua possit definiiri "viva"; existat tandem populus quidam Latine loquentium, qui fiat, inter alia, quasi quoddam "colum" neologismorum, quos selectione Darwiniana vel recipiat vel recuset. Non modo, sed cum quaelibet lingua viva fiat sponte "creatrix", haec ingentissima "communitas Latina", composita innumeris professori-

bus et innumeris discipulis, ex suo sinu exprimet vicissim nova vocabula quae evolutio hodierna sit postulatura (quod iam fit hodie, crescenti frequen- tia, in qualibet lingua viva).

Et hoc est notabile: cum cetera incepta de resurgendo et excolendo Latino vivo offendant non paucas difficultates oeconomicas et psychologicas ut adducantur ad actum, quod attinet ad Latinum vivum in scholis humanisticis nulla, ut ita dicam, "revolutio" est necessaria: programmata, quae dicuntur, manebunt intacta; totum reducitur ad "textum" qui manu ducat professores et discipulos ad hanc novam et minime ingratam, immo cito allicientem experientiam.

Non enim sufficit ad ineundam hanc novam methodum ut invitentur omnes docentes quodam sollemni nuntio: "Optimi et docti amici, a mense proximo, sive in Europa sive in America, omnes incipiamus docere linguam Latinam non more tradito, nimis "abstracto" et "litterario", sed nova methodo nova."

Quomodo et qua ratione incipient collegae? Quis eis auxilietur? Oportet igitur illis offeratur liber qui quodammodo eos introducat in hanc novam rationem docendi, porrigens illis exemplaria liquidissima primarum praelectionum, locutionum cottidianarum Latinarum, primorum dialogorum Latinorum mirae simplicitatis.

Guido Angelino

Professoris Vidonis Angelino methodus, cui index "LATINE LOQUOR", manu dicit et professores insuetos et discipulos docendos in semitam novam et virescen- tem latinitatis vivaे. Cuius methodi fasciculæ verisimiliter in lucem edet domus editoria ELI.

Imprimis GENOVEFAM IMME rogavimus quid cogitaret


## DE LATINITATE VIVA IN SCHOLA HODIERNA ADHIBENDA.

Rogata sum quid de Latinitate viva in schola adhibenda sentirem, possetne fieri, essetne utilis, liceretne. Quaestio haud simplex est: nam contraria in animo meo de ea sentio adversantia atque ideo timeo ne quando parum rationabilia scribere videar.

A multis iam annis conor vivam Latinitatem cum clas- sica in scholis meis conciliare mutuoque temperare: ad hoc igitur prona sum ut dicam eam posse fieri quoniam facio. Sed aliquando difficultates omnis generis (quarum praecipuas infra enumeratura sum) et deceptae spes tales sunt ut fere dicam eam -ut res nunc sunt- non posse fieri... et tamen volens nolens mussitans gemensque constanter pergo!

SEQUETUR IN PROXIMO NUMERO

# De Aquaeductu Segobiensi



ROMA  
A  
SEGOVIA  
EN EL  
BIMILENARIO  
DE SU  
ACUEDUCTO  
MCMLXXIV

"Praehistoriae" quoque (quae dicitur) temporibus homines eam terram, quae Segobia nominatur, iam incolebant, at notitiae eius mutis tantummodo vestigiis ad nostram pervenere aetatem. Postea silentium interiectum est ; ad duodecentesimum sane ante Christi adventum annum scriptores Romani illorum locorum incolas Arevacorum tribus nuncupabant. Anno undeoctogimo legati Sertoriani fere ante moenia Segobiensia ab ipsis Pompeianis interficti perierunt ; quod factum Lucii Flori verba eloquuntur. Post haec in scriptis reperiuntur pauca eaque minimi momenti. Oppidum exigua gentium frequentatione sub Visigothis intra dioecesin Palentinam umbra operante vigebat ; anno 527 episcopus quidam illicite ordinatus est ; qua de causa damnatus est ; at paulo post receptus est, nam, nescitur quibus de causis, ad modum curationis Segobiam, Caucam et Britalvum ad vitam ei tradiderunt. Devius interventus eius nullo pacto fuit ; qua de causa, cum defunctus esset, Segobienses a metropolitano Toletano, nomine Montano (522-531?) qui "urbe regia" coram rege agebat, curarunt ut crearetur dioecesis ; qui cum extensas episcopi Palentini terras ostendissent clamitavissentque, novam dioecesin Segobiensem continuo obtinuerunt, quae nunc quoque stat ; sub Mauris quidem paulisper perit, at ab Ildefonso VI anno 1072 (cum Raimundus, regis gener, eam accepisset) iterum est instituta ; qui, cum infrequentes terrae essent (ut est in Chronicis Christianis illorum temporum), gentes, immunitatibus concessis, invitavit ut Segobiem incolerent. Ante expugnationem Segobiam Mauros a Christianis divisisse plurimos per annos fama est. Sed et Christiani aquaeductum Romanum stantem aquamque ducentem invenerunt ; haec est causa cur oppidum a Mauris destrutum non fuisse credatur. Segobiem a gentibus frequentatam esse multis nemo est qui opinetur, immo, parvum fuisse oppidum : quid igitur est quod Romani aquaeductum ingentem ibi olim exstruxerint? Ignota adhuc causa nobis esse videtur.

En tibi celeberrimi aqueductus Segobiensis descrip-  
tio. Solidis saxis Syenitibus colore caeruleo, nullo  
mortario exhibito, ingentibusque lapidibus qui for-  
amina ad elevanda saxa apta etiamnunc monstrant, Au-  
gusti Caesaris temporibus structus est ; 128 autem  
arcus numerantur quorum bases 2,44 m. longae et 3,35

m. latae sunt. Arcus duplice dispositione superponun-  
tur, quorum inferiores praeferti sunt. Arcus unusquisque  
amplitudine est 5,2 m. Pars superior per quam a-  
qua aperto sole quondam fluebant, canalem habet su-  
pra saxa mortario mixta solidissimeque disposita ; per  
quam etiam nunc discurrunt aquae tubis quibusdam me-  
tallicis ductae, ne aere contaminentur. Altitudo ma-  
xima est 28,9 m., longitudu autem 813 m. Aquaeductus e  
flumine "Acebeda" in monte "Fuenfria" nato (i. e. "in  
monte fontis frigidi) haurit aquas ; temporibus vero  
antiquis fonte quodam alebatur qui, cum iam dudum ex-  
siccatus sit, "Fons siccus" sermone vernaculo appellatur.

De aqueductu Romano narratio quaedam est aevo quod  
dicitur medio efficta. Quae fabula aqueductum "dia-  
boli fontem" nuncupatum esse vult. Adulescentula enim  
quondam amphoram figulinam cottidie deferebat ad fontem  
ab urbe procul distantem, e quo aquam exhauriret ;  
pondere magno onusta, aestate quidem caloris causa,  
hieme autem frigoris, quadam die alta gemebat voce.  
Quem ob strepitum accurrit diabolus : "Quid tibi accidit, o adulescentula?" Quae "aquaee pondere incommodo", inquit "cottidie pereo ; nam perlóngum est iter  
ad fontem usque, redditus autem amphoram aqua plenam  
portanti perdifficilis". Cui diabolus : "Si animam mihi,  
cum morieris, dederis (mihi enim non exstat tem-  
pus, opperiri soleo), faciam ut aqua tibi appropin-  
quet!" Afferuit adulescentula. Postero die apparuit  
aquaeductus, ut aqua ab ipsis oppidi muris exhauriri  
posset. Commentatur fabula virginem animam suam dia-  
bolo devotam non tradidisse... Nihilominus desperatio  
puellae cuiusdam Segobiae urbi aqueductum est largi-  
ta, auctore diabolo.

Dehinc pace semper vixit Segobia urbs tranquilla ; at  
in ecclesia quadam eius Elisabetha I Catholica regina  
Castellae anno 1474 est proclamata. Temporibus eius  
nepotis, Caroli I nomine, propter bella "Germanica"  
(quae tunc primum appellabantur), permagnam subiit  
urbs ruinam, ecclesia cathedrali funditus diruta. Ca-  
rolus I rex, imperator Germaniae V eius nominis, novum  
autem templum in Iudeorum olim vico aedificari ius-  
sit.

Memoria aqueductus fabrefacti lapide marmore nuper  
commemorata est.

# NUNTIA EX ORBE LATINO

I.

## EX FOEDERATIS CIVITATIBUS SOCIALISTICIS SOVIETICIS.

IACOBUS BOROVSKIJ DIANA LICOPPE S.P.D.


Grato animo accepi Num 7 "Melissae", quem aequa ac ante Num 5 pro egregio contributo in causam Vivae Latinitatis atque adeo pacifici commercii inter populos non modo Europae sed etiam totius oecumene arbitror.

Acceptas habeas, Editrix optima, gratias meas sinceras pro munere humanissimo.

Vota facio ut semper crescat et floreat "Melissa" cum insignibus cultus humani commodis. Vale.

Leninopoli, 25 VII 85

## II. EX AFRICA CENTRALI.



In hoc involucro, per pulchris pittaciis ornato, Eduardus MTTIMILA litteras ad Melissam misit die 20<sup>o</sup> mensis Augusti. Maximo cum gaudio invenimus textum, quem conscripsit ut nonnulla scitu digna explicaret de KAMUZU ACADEMIA. Quae descriptio, tabula geographica aucta, libentissime divulgamus:

SCHOLARES ACADEMIAE KAMUZUENSIS OMNIBUS AMICIS S.P.D.


Paucis diebus ante LUDOS LATINOS, professor Valahfridus Stroh Monacensis scripsit epistulam praesidi doctissimo Kamuzu Bamda, qui est conditor scholae nostrae, nomine KAMUZU ACADEMY. In hac epistula, professor Stroh eum certiores fecit de Ludis Latinis, qui in Germania mense Aprili anno MCMLXXXV agendi erant ad memoriam urbis Augustae Vindelicum, quae condita est anno a.Chr.n. XV ab Augusto Caesare: nomen urbis ipsius ab illo tractum est. Epistula recepta, praeses excellentissimus Kamuzu Banda, quod semper cognovit virtutem ac beneficium linguarum antiquarum discendarum, septem discipulos ex sua Academia ad Ludos Latinos participandos mittere constituit. Ille nos misit sumptibus suis, itaque maximas ei agimus gratias.

Post longum iter ex Africa meridionali, ubi patria nostra MALAVIA sita est, in Germaniam die 7<sup>o</sup> m. Aprilis advenimus. Postero die burgimister maior

Iohannes Vindelicus Valahfridum ludorum magistrum proclamavit et Ludos Latinos inauguravit. Cogito Dianam multa de Ludis Latinis in foliis Melissae iam descripsisse. Nos tamen discipuli ex Africa putamus Ludos Latinos non solum spectaculum sed etiam scholam historiae et litterarum Latinarum esse. Praeterea, iucundissimum erat multos ex orbe terrarum ad Ludos Latinos participandos venisse; ex quibus didicimus multa de Latinitate atque de eorum regionibus. Nunc optandum est ut Ludi Latini iterum agantur, quibus coaevi nostri respiciant cultus civilis origines.


Ludi Latini producti sunt ad diem 14<sup>o</sup> m. Aprilis. Deinde, die 15<sup>o</sup> ex Germania Romam perrexiimus non iam ad Ludos Latinos participandos sed ut e fonte linguae historiaeque Latinae exhauriremus. Maxime nobis placet omnia quae Augusta didiceramus oculis lustrare. Exempli gratia afferam magistram inlustrissimam Bruxellensem: in Ludis Latinis Diana Licoppe pelliculas de Pompeiis nos demonstravit. At omnes mihi credite! Hercle, nos ad pulchros Pompeios ipsos videndos profecti sumus. Die 20<sup>o</sup> m. Aprilis ad nostram patriam regressi sumus. Gratias maximas agimus omnibus qui Ludos Latinos preparaverunt, eis qui nos et in Germania et in Italia curaverunt atque omnibus qui ad Ludos Latinos participandos venerunt. Sed iterum gratias maximas agimus praesidi sapientissimo Kamuzu Banda, qui nos in Germaniam emisit.

RES PUBLICA MALAWI



Iam scitis Academiam in Africa meridionali, Malaviam dico, sitam esse. Nunc vero pauca de Academia ipsa dicam. Malavia, sicut Gallia, divisa est in partes tres. Academia in regione Kasungu provinciae meridionalis sita est. Locus ipse Mtunthama appellatur. Prope Academiam vetus arbor "KACHERE" est, ex qua pomum libertatis atque disciplinae accepimus. Praeses ac conditor civitatis Academiaeque primus sub hac arbore doctus est. Nos non iam sub arbore sed in pulchris aedificiis discimus, quae anno p.Chr.n. MCMLXXXI pro suis iuvenibus praeses inauguraravit. Scholares 360 numero ex omnibus regionibus Malawiensibus vicinisque civitatibus in Academia sunt. Illi qui nos in Germania

(sequitur p. 9)



# SEMINARIUM LATINITATIS VIVÆ

quomodo VESTENDÆ actum sit.

Hoc anno Vestendam in aedes "Zon en Zee" undique iterum confluxerunt circiter triginta homines ad seminarium Latinum a die 17° in diem 24um m. Augusti participandum. Strenuissimi et attentissimi fuerunt participes. Primum incohatum est experimentum, quo nonnulli participes ipsi partem sessionis postmeridianae conarentur moderari, adiuvante P.C. Eichenseer.

Di nobis iterum in excursione faverunt, cum Mercuri die serenissima tempestate et sole mire splendenti fructi essemus. Paulus Elsen, mystagogus noster singularis, nobis Latine explicavit monumenta Dammae, olim Brugarum portus, et ingens horreum monasterii Thosani (v. Ter Doest) a XIII° saeculo mirabiliter servatum.

Praeterea valde gaudemus quod numerus Francogallicorum participum auctus est. Inter quos erat Patricius BOUGY, praeses Academiae Cadomensis (v. Caen), qui pro Melissa seminarii relationem libenter conscripsit

## PATRICIUS BOUGY NARRAT:

Tertio seminario Vestendensi interfui. Per totam septimanam, domini Licoppe et Diana et Corinnae gratia, a die 17o in diem 24um mensis Augusti (paene) tantum Latine loqui potui cum duabus Francogallicis, undecim Germanis (quorum una "Graeco-Germana"), duodecim Belgis, uno Hispano.

Bis cottidie P. Caelestem Eichenseer, virum doctissimum modestissimumque auscultavi. Non solum "sermonis Latini usum cottidianum" nos docuit, sed syntaxin et Ciceronianam et Augustinianam, et pronuntiatum restitutum.

Aliqui putant Latine loqui esse ludum. Recte! Ludus tamen cuius regulae perstrictae sunt! Sufficit vero ut libros a Caeleste Eichenseer et eius amicis scriptis aperiamus ut certi facti simus omnem verbum usurpari cum cura maxima "verae" Latinitatis.

Praeter patris Eichenseer audiciones, doctor J.-P. Bauer, disciplina Iuris eruditissimus, de vita et operibus "archipoetae" magna cum eloquentia verba fecit. Quod mihi multum placuit, quia ille professor non solum doctissimus est sed hilarissimus et humanissimus. Et dominus Gauis Licoppe diapositives de conventu Dunhelmi (in Anglia) fecit ut viseremus.

\*

Dominus Licoppe a magistris qui in gymnasiis docent etiam quaesivit ut lectiones facerent. Scire volebat num quidam pro Patre Caeleste institutionem tironum mox excipere possent. Recte fecit. Hoc enim seminario, alteri iam Latine expedite loquebantur, alteri primum id faciebant. Itaque timeo ne hi aliquando audiciones vix intellexerint, illis exercitationes taedio fuerint!

De tironibus verba dixi. Illi quidem exstant. Erant studentes et alumni quorum duo vel tres optime Latine loquebantur (fuit etiam puella quae Latine ... caneret!) mihi tamen visum est Latinitati vivae multa obesse. Professores qui eam colunt rarissimi sunt et saepe a collegis ipsis deridentur.

Reliqui nesciunt quomodo extra sodalitatem eam diffundant. Legatus quidam Belgicus qui ad Novum Ebora cum mox proficietur olim dixit se Latinitatem non solum colere perrecturum, sed etiam effundere.

- Quomodo id facies, inquam. Latine collegas alloqueris? Subrisit legatus ...

\*

Quae cum ita sint, pro certo habete linguam Latinam etiam nunc usurpari posse: in hoc seminario, et in conventibus, professores, et in itinere Dammam, mystagogus noster, et in taberna, omnes optimum documentum fecerunt! Utinam discipuli id opinentur! Utinam magistri ipsi, qui nimis saepe satis habent si linguam Latinam Gallice, vel Germanice, vel Neerlandice ... convertunt!

## DE VITA COTTIDIANA TERTIO SEMINARIO VESTENDENSI.

Est hora septima. In conclavi meo aedium "Zon en ZEE" expergiscor. Mox tempus erit exeundi ut ientaculum habeam.

Cum ad cenationem iter facio homines iam video feriarum indumentis vestitos qui in piscina natatum ibunt vel eas "trirotas" vel "quadrirotas" conducent quarum permultae sunt in litore Belgico.

Ientaculum abundans est. Praeter complura panis genera, caro suilla (perna, farcimen) et caseum et mel et butyrum et crum et soccolata oblata sunt. Ad hoc sucus aranciarum et potionis calidae (cafea, thea, soccolata). Cum nimii sunt cibi, pastillam fartam facio quam pro prandio edam. Nam hora duodecima statim post lectiones peractas proficiscar ut regionem visitem.

Per horas matutinas, sunt colloquiorum exercitationes et explicatio verborum recentium. Hodie, pater Caelestis de vehiculis verba facit. A nobis quaerit num autocinetum habeamus, cuius generis fabricationis, etc...

Alium humaniter deridet qui duo autocineta habet, aliam quae dixit Germanicam suam raedam se celerrime gerere.

Hora duodecima, cum reliqui in cenationem eant, ad currum electricum propero. Ecce advenit bucinando. Conscendo. Ad litus usque Ostendam iter facit. A Vestenda ad Ostendam sunt multa oppida quorum aedificia octo, novem, decem tabulatorum spectant ad mare. Si

post aedes estis, aedes solum videtis. Si ante aedes ambulatis, non solum mare (quod aestu reverso est procul a vobis!) sed, inter aedes et arenam, viam latam ubi nulla autocinetas sunt, sed ambulatores, et pueri et iuvenes et parentes qui minimis pedalibus autocinetis, trirotis, quadrirotis, cum singulis, binis, quaternis, senis sedibus, vehuntur. Sunt etiam qui potionis in cafeorum xystis sorbeant, colloquentes vel naves aspicientes quae in alto ad Angliam navigant...

Sed ego intra currum electricum sedeo!

Post iter viginti quinque minutarum, Ostendam advenio. Prope Thermas descendeo. Nec thermae nec illa domus ludendi "casino" vulgo appellata me delectant. Structura sunt pessima. Itaque celeriter per vias solidiores ambulationem pergo usque ad portum et crepidinem piscatorum (vulgo visserskai). Ibi est, ut ita dicam, forum piscatorium: non solum pisces integri veneunt, sed frusta piscium cum condimentis in catulis ex charta oblata. Aringum crudum cum cepae frustis comparo. Suavissimum!

Nunc pluit. Umbrellam explico. Non ambulo usque ad stationem ferriviaram, sed dextrorum ad magnam neogothicam ecclesiam quam non sine taedio aspicio. Prope ab ea est taberna vetus specie in qua Bruxellensis et Brugensis denticulatus limbus venit. Pulchros e denticulato papilioes duabus meis filiis emo. Deinde vicum tabernis refertissimum introeo. Ante tabernam diariorum mercatoris diurnarii sunt positi. De navi "Rainbow Warrior" a Franco-gallicis (?) speculatoribus in Nova Zelandia destructa agitur.

Multi sunt qui tabernas lautissimas spectent. Ego tabernas specto, sed etiam ambulatores. Sunt incolae Ostendae elegantes, sunt viatores. Puto hos plures esse quam illos. Ambulatores enim lente iter faciunt, ut qui nihil habent quod faciant. Antequam in stationem redeam, cauponum introdeo. Ut amoenum est considerare! Inservitrix cafeam affert. Quamquam in Franco-gallia cafeam puram post prandium semper sorbeo, capsulam lactis exhaudio et lac in cafeam fundo. Illo modo, cum cor sapit, tum palatus ...

Torta etiam in charta tranlucida cum cafea affertur: quod etiam est vere "Belgicum" ...

Mox erit hora tertia et dimidia. Ad stationem currus electrici festino. Hora quarta et dimidia ad alios seminarii participes in auditorio sedentes revertor. "Salvi sitis!", inquam. "Salvus sis!", respondent.

P. Eichenseer iam prope mensam professoriam stat. Cum uno nostrum - immo vero una- de locutione "haud scio an" colloquitur. Quoniam de ac re interrogatus est, ab hac re acroasis incipium facit. Deinde de consecutio-ne temporum agitur. Ab eis qui a dextris sedent (qui a sinistris sedent matutino tempore iam interrogati sunt) quaerit num... nescio quid!

Respondere debent quid velint, dum regulas grammaticas obseruent. Alius dicit: "Nescio utrum venias necne", alia: "Timebam ne plueret" (Recte timebat!), alia: "Nescio utrum exemplum inventura sim necne." (Ei iratus sum quia idem dicere volui. Nunc quod exemplum inveniam?)


- Quid dicas? inquit moderator. "R" bene non pronuntiavisti! Et decies "R" sic iterare debemus ut ore laboremus.

Hora sexta et dimidia, supplicium est (/est/ non /est/) in effectu.

Hora septima unusquisque est (/est/ non /est/) libenter.

Post cenam, cum sex vel septem aliis seminarii participibus ad litus iter facio, non ut natemus, sed ut bonam Belgicam cervesiam in cauponio colloquentes sorbeamus.

P. BOUCY.



PAULUS ELSSEN

MYSTAGOGUS,

a nostris lectoribus iam bene notus, sibi breviarium conscripsit, quo facilius nobis Dammae monumenta explicaret. Quod breviarium Melissae libenter tradidit, unde vobis nonnulla expiscati sumus. Primum de Dammae historia narrat haec:

"Per transgressiones maritimas Duncercianas, annis 1010-1040 et 1130-1160 habitas, mare per aestuarium, cui vulgum nomen Sincfal/Zwin, pervenit usque ad oppidum Dammam. Quare Damma a saeculo XII° ad saeculum XIVum portus secundarius Brugarum factus est; Dammae enim naves erant exoneranda et mercimonia in minores naves erant imponenda, quibus per fossam artificiosam Brugas transportabantur. Quo tempore Dammae portus trecenta metra longus erat. Villelmus Armoricus, regis Francogalliae Philippi-Augusti rerum gestarum scriptor, narrat Philippum-Augustum a° 1213° et portum et oppidum delevisse, quia Dammenses eum in bello contra Iohannem sine Terra, regem Magnae Britanniae, auxilium ferre noluerant. Dammenses enim ex Magna Britannia lanam importabant, qua maxime egebant Flandriae textores. Villelmus Armoricus miratur totam regis classem, quae ex 1.700 navibus constabat, in Dammae portum appelli posse. Narrat etiam tunc temporis plus quam trecenta genera mercimoniorum Dammam importari, imprimis vina Vasconica et Burdigalensis ex portu Rupellae (v.La Rochelle), fila ex Phoenicia et Cycladibus, pelles ex Hungaria, ferrum et plumbeum album (sive stannum) ex Magna Britannia et Polonia; pannos autem foras exportari; propter Dammae opportunum ad mare situm, mercatores, argentarios, proxenetas, fabros, opificesque domicilium vel sedem ibi collocavisse.

Anno 1180° Philippus Alsaticus, comes Flandriae, Dammae civibus multa dederat iura pertinentia ad autonomiam, commercium et ius dicendum.

Damma anno 1213° deleta reaedificata est et bene munita. Vinorum copia ei erat maxima, cum haberet ius emporii, aqua tamen nimis salsa non erat potabilis. Anno 1269° aqua potabilis Dammam tandem adducta est per fistulam plumbeam ex stagno quattuor chiliometra distanti. Cuius fistulae magnum epistomium in curia adhuc servatur."

## ANNULA WOLFF EXEMPLUM IMITABILE

Maxime miranda et landanda inter participes omnium consensu fuit Annula WOLFF, quam vobis interrogavimus:  
Ubi et quando nata es ?

Nata sum anno MCMLXVIIo Caesariultrae, quae est oppidum Palatinum, sed iam multis ex annis habito Monachi in urbe principali Bavariae.

Esne adhuc discipula in gymnasio ?

Sum adhuc discipula in gymnasio, in duodecima classe.

Quando et quomodo ad Latinitatem vivam venisti ?

Linguam Latinam iam sex annos didici. Hoc anno magister meus classem meam monuit de futuris Ludis Latinis Augustanis. Qui nuntius mihi tantopere placuit ut statim consilium inii eorum Ludorum participandorum.

Quando et quomodo aliquid audivisti de seminariis Latinis ?

Augustae Vindelicum tempore antemeridiano habitae sunt variae scholae. Amica mea Aquisgranensis, Iris Petschnigg, interfuit scholae Patris Caelestis Eichenseer et mihi narravit de seminariis Latinitatis vivae. Sed nos non potuimus idem seminarium participare. Nam amica mea habitat in alia regione Germaniae, itaque feriae nostrae non sunt eodem tempore. Illa ergo interfuit seminario Bottropensi, ego participavi seminarium Vestendensem.

Per seminarium Vestendense animadverti te bene Latine loqui posse. Loquerisme saepe Latine cum magistro, condiscipulis vel aliis ?

Ludi Latini mihi maximo gaudio fuerunt et ibi Latine loqui didici. Ex eo tempore, cum amica mea colloquor Latine phonocasetis. Nonnumquam etiam possum Latine loqui in schola mea quia magister meus, in lectionis initio, quaestiones Latine ponit de praeterita institutione.

Placuitne tibi seminarium Vestendense ?

Seminarium Vestendense mihi valde placuit quia me licuit Latine colloqui sine phonocasetis et multa verba didici. Spero fore ut mox pronuntiatione restituta optime uti possim.

Cur Latinitatem vivam colis ?

Linguam Latinam maxime diligo, quia lingua pulcherima est. Non solum sonum Latinum amo, sed etiam facultatem omnium paucis verbis dicendorum quae Theodisce multis verbis exprimendae sunt. Nuper etiam cantica Anglicana celeberrima in linguam Latinam verti, delegationis causa.

Quid facere vis post studia tua in gymnasio ?

Quid faciam post studia in gymnasio nondum scio. Fortasse Latinitati studebo, vel arti scaenicae, vel alicui alio ...

## FUNDATIO MELISSA ( sequitur)

- praeses Gaius LICOPPE
- vicepraeses Renildus CAPPELLE
- secretarius Lucas WILLEMARCK
- arcaria Diana LICOPPE.

Fundationis Melissae statuta diligenter composuit Professor Guy Van Fraeyenhoven, optimus iurisconsultus Bruxellensis. Quae statuta in linguam Nederländicam accurate vertenda curavit Lucas WILLEMARCK.

Textus Nederlandicus et Francogallicus in Actis Diurnis Officialibus Belgicis mox edentur. Etiam exstat Latina statutorum translatio, quam doctissime et benevolentissime fecit Professor Iohannes-Paulus BAUER, iurisconsultus Saravipontanus.

Cum adhuc nullum consociationis genus plane Europaeum extet, satis habuimus statum iuridicum Belgicum; duo tamen conditores non sunt Belgae, una Francogallia, alter Germanus, quo significatur Fundationem Melissam non pertinere ad Belgicam solam.

Fundatio Melissa, statu iuridico praedita, facilis paeconium pro latinitate facere poterit, id quod nobis videtur maximi momenti. Quare imprimis conabimur quam frequentissimos homines invenire qui sodales adhaerentes fieri possint.

Medio mense Septembri in Italia septentrionali convenimus Vidonem Angelino et Carolum Rossi, qui cum Lamberto Pigini et nonnullis aliis etiam cogitant de consociatione condenda, quae in Italia mentem Europaeam latinitate innixam promoveat.

Sic paulatim ubique oriuntur vires novae, quarum "synergia" fortasse Europaeam inertiam tamdem moliri poterimus.

Gaius Licoppe Bruxellensis

## EX AFRICA CENTRALI. ( sequitur )

viderunt neverunt etiam puellas in Academia esse, numero fere 100. Quicumque mente capax est in Academia libenter recipitur etiamsi pauper est. Praeter litteras Latinas, Graecas, Gallicas atque Anglicas, historia, ars fabrefaciendi et scientia naturae (mathematica, physica, etc...) docentur. Sacellum etiam aedificatum est.

Sexages centena milia (6.000.000) incolarum circiter sunt in Malawia vel etiam plures; e quibus multi ruri vitam degunt et agros colunt; nam agri cultura magnum lucrum et quaestum civitati affert; qua de causa agri cultura in scholis Malawiensibus quoque docetur.

Interea depugnamus contra solitudinem, nam haec nova Academia in regione infrequenti exstructa est. Quare Academiae scholares contenti sunt se in orbe terrarum sodales reperire, quibuscum experientias suas commutent.

Eduardus MTITIMILA, discipulus.

Si sunt qui ad Kamuzu Academiae discipulos litteras mittere cupiunt, eis scribendum est utendo hac inscriptione cursuali: The Headmaster KAMUZU ACADEMY

P.O. Box 1

MTUNTHAMA

MALAWI - C. AFRICA

# PAGINA PHILOLOGORUM

## DE EPISTULA QUADAM OBSCURI VIRI AD ORTVINUM GRATIUM

Quo tempore, humanistae qui dicuntur litterarum rei publicae potiti omnibus enitebantur viribus ut, medi aevi barbarie radicibus evulsa, Latinitas in pristinum statum restitueretur. virorum illustrium colloquia epistolaria frequentia mirum quanta sunt edita; quibus in litteris emandate atque eleganter scripta per varieque narrata ante omnia sunt quaerenda; non enim tantum ponebatur in rebus vere factis, immo litterae omnino fictitiae voluminibus interdum includebantur.

Itaque anno 1515 Epistolae obscurorum virorum ad venerabilem magistrum Ortvinum Gratium Daventriensem Coloniae Agrippinae bonas litteras docentem plane fictae in lucem prodierunt; quis eas sit ementus ambigitur, Ulricum vero Huttenium (1488-1523), humanistam Germanicum, ad rem constat multum contulisse.

Longum est enarrare causas cur Epistolae obscurorum virorum sint editae quo modo ad Clarorum virorum epistolae ad Ioannem Reuchlin (1514) responderint; sic habento legentes, Iudeum quandam, Ioannem Pfefferkorn nomine, cum ad Christianos transfugisset, Ioanni Reuchlin et Ortvino Gratio professoribus occasionem deditse rixae.

Haec utcumque se habent, Epistolae obscurorum virorum dubium non est quin satiricae atque aculeatae sint; scriptor enim Gratio eiusque asseclis, viris scholasticis, irridet de rebus ridiculis vix Latine scribentibus; quos ut derideat, modum excedit in adhibendo dicendi genere mediae aetatis proprio, barbarismis et soloecismis ita replete, ut ἘΠΙΣΤΟΛΟΥΡΑΦΩΝ theodiscas orationes sententiasque ad verbum Latine exprimere videantur; adde quod res, de quibus obscuri viri agunt, tam pusillae sunt ut risum non movere non possint (ex. gr. 1,1 : utrum dicendum "magister nostrandus" an "noster magistrandus"; 1,37 : an renascantur praeputia Iudeis Christianis factis!); quid autem, si magister quidam Gratum initio epistulae eleganter salvere iubet? "Salutes vobis plures, quam sunt in Polonia fures, et in Bohemia haeretici, et in terre Suitensium rustici, et in Italia scorpiones, et in Hispania lenones, et in Ungaria pediculi, et in Parrisia articuli, et in Saxonie potatores, et in Venetia mercatores ...."(2,16)

Commendarim igitur vobis Epistolae Obscurorum Virorum legendas, non quas imitemini, sed quas animi relaxandi causa evolvatis. Perpetuo risu pulmonem agitare licebit.

*Henricus Schaffsmilius magistro Ortvino Gratio salutem plurimam dicit.*

Cum priusquam ambularem ad Curiam, dixisti mihi, quod saepe debeo vobis scribere et aliquando debeo dirigere alias quæstiones theologicas ad vos, tunc vultis mihi eas solvere melius quam curtisani Romæ: ergo nunc quaero dominationem vestram, quid tenetis de eo, quando unus in die Veneris, id est feria sexta, vel alias, quando est ieiunium, comedit ovum et est pullus intus; quia nuper in Campo Floræ<sup>2</sup> sedimus in uno hospitio et fecimus collationem, et comedimus ova, et ego aperiens ovum vidi, quod iuvenis pullus est in eo, et ostendi socio meo; tunc ipse dixit: 'Comedatis cito, antequam hospes videt, quia, quando videt, tunc oportet ei dare unum Carlinum<sup>3</sup> vel Iulium<sup>4</sup> pro gallina', quia est hic consuetudo, quod, quando hospes ponit aliquid ad tabulam, tunc oportet solvere, quia non volunt recipere. Et si videt, quod iuvenis gallina est in ovo, ipse dicit: 'Solvatis mihi etiam gallinam', quia computat parvam sicut magnam. Et ego statim bibi ovum, et simul illum pullum intus, et postea cogitavi, quod fuit dies Veneris, et dixi socio meo: 'Vos fecistis, quod feci peccatum mortale comedendo carnes in feriis sexitis'. Et dixit ipse, quod non est peccatum mortale, immo non est peccatum veniale, quia ille pullaster<sup>5</sup> non reputatur aliter quam ovum, donec est natus. Et dixit mihi, quod est sicut de caseis, in quibus aliquando sunt vermes, et in cerasis, et in pisis et fabis recentibus, sed tamen comeduntur in sextis feriis et etiam in vigiliis Apostolorum. Hospites autem ita sunt pultroni,<sup>6</sup> quod dicunt, quod sunt carnes, ut habeant plus pecuniam. Tunc ego abivi et cogitavi desper. Et per Deum, magister Ortvine, ego sum multum turbatus et nescio, quomodo debeo me regere. Si vellem libenter consilium quaerere ab uno curtisano, tunc scio, quod non habent bonas conscientias; videtur mihi, quod istac iuvenes gallinae in ovis sunt carnes, quia materia est iam formata et figurata in membra et corpus animalis, et habet animam vitalem. Aliud est de vermis in caseis et aliis, quia vermes reputantur pro piscibus, sicut ego audivi ab uno medico, qui est valde bonus physicus. Ergo rogo vos multum cordialiter, quatenus velitis mihi respondere ad propositam quæstionem. Quia, si tenetis, quod est peccatum mortale, tunc volo hic acquirere unam absolutionem, antequam vado ad Almaniam. Etiam debetis scire, quod magister noster Iacobus de Hochstraten acquisivit mille florenos ex banco<sup>7</sup> credo, quod lucrabit causam, et diabolus confundit illum Ioannem Reuchlin et alios poetas et iuristas, quia volunt esse contra ecclesiam Dei. Id est contra theologos, in quibus est fundata ecclesia, ut Christus dixit: 'Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam'. Et sic commendo vos domino Deo. Valete. Datum in urbe Roma.

## PHOTOGRAPHEMA MARITIMUM.

Unda tacet subito, subito tacet hora diurna  
sistunt ecce simul tempus et oceanus.  
Alta voce puer ridet ludens in arena  
atque eius risus cuncta creata tenet.


Iosephus Tusiani Neo-Eboracensis.

(1) curtisani: aulici; qui in Curia vitam degunt (2) Campus Floræ: Campo de' Fiori (3) Carlinus: nummus quidam argenteus (4) Iulus: nummus quidam argenteus (5) pullaster: cfr. pullastræ: gallus adolescens (6) pultroni = pultrones, Italice poltroni, Francogallice poltrons (7) bancus: taberna argentaria.

(Cfr. A. Bömer, Epistolæ Obscurorum Virorum, 2 voll., Heidelberg, 1924 = Stachelschriften, Altere Reihe, 1, Aalen, 1978; ep. 2,26)

Hic pulcherrimus liber, quem Professor Valahfridus Stroh nobis infra praesentat, peti potest ab

**Artemis & Winkler Verlag**  
**Werbeabteilung**  
**Postfach 44 02 54/55**  
**8000 MÜNCHEN 44**



# Cantica latina

Poetarum veterum novorumque carmina ad cantum cum clavibus  
 modis instruxit JAN NOVÁK · Artemis Verlag

Valahfridus grammaticus lectoribus et can-  
 toribus salutem d.

*Avia Pieridum peragro loca nullius ante  
 trita solo -*

His verbis Lucreti iuvat uti, cum novum vobis  
 librum propono: talem enim, nisi amor me fallit,  
 antea non vidistis. quinquaginta continet carmina  
 Latina venustissima modis musicis ita exornata, ut  
 ad claves dulciter cani possint. sed quid dico ad  
 claves? etiam sine hoc organo maiorem partem  
 carminum vobis edere licebit, vel sola voce vel ad  
 citharam: conamini modo! incipite! neque hae can-  
 tiones eorum dumtaxat in usum confectae sunt, qui  
 artem canendi rite didicerunt aut profitentur; sed  
 homines indocti quoque et rudes, pueri, puellulae,  
 paene dixerim infantes hoc in libro invenient, quod  
 cum voluptate cantent, clament, vagiant. et quant-  
 tam varietatem numerorum, modorum, affectuum  
 hic videtis! praesto erunt quae canatis, cum laeti  
 eritis, cum tristes, cum pocula sitietis aut cupietis  
 saltare. aliud carmen veris gaudia celebrat, aliud  
 hiemis: paene singulae horae diei suos acceperunt  
 modos. hic sunt multa quae amicae suaे quisque  
 dicat; hic exclusus amator carmen reperiet, quo  
 fores recludantur; nec deest, qua naenia mater  
 pueros vigilantes Morpheo tradat. quin etiam ei  
 provisum est, qui corporis morbis vexatur: temptet  
 pervetus illud incantamentum magicum – mirabi-  
 tur. tam multiformem autem copiam carminum  
 non solum antiqua illa tempora, quae hodie classi-  
 ca vocantur, excogitaverunt: omnium aetatum po-  
 etaе optimi (si pauca excipias: nam insunt mea  
 quoque) velut communi opera curaverunt, hic liber  
 ut nunc in publicum prodire posset.

Et quis auctor sit libri, quaeritis? quis carmina  
 elegerit, modis instruxerit? quid? numquis est in  
 numero vestro, lectores optimi, qui Iani Novák  
 musurgi nomen non noverit?<sup>(1)</sup> is certe fuit clarissi-  
 mus olim inter suos melodiarum compositor, dum  
 in Moravia vel Bohemoslovacia fuit; sed cum dulci  
 ex patria A. D. 1968 excedere cogeretur – eheu:

*... multum ille et terris iactatus et alto –*

e Moravia cum suis venit primum in Daniam,  
 deinde in Italiam, ubi etiam sepeliri voluit. ulti-  
 mam sedem inde ab A. D. 1977 habuit Novae  
 Vlmae, ubi nuper (die 17 m. Nov. A. D. 1984)  
 mortuus est, deploratus ab amicis et Camenis. fuit  
 enim inter omnes, qui post renatas litteras musicae  
 operam dederunt, sine dubio Latinissimus. Latino  
 sermone in loquendo, scribendo utebatur tam-  
 quam suo; Latine etiam poetatus est duabusque  
 libris carmina propria collegit et emisit. quin etiam  
 mente concepit LVDOS LATINOS eosque mecum  
 A. D. 1983 Elvaci in Virtemberga primum edidit.  
 nil hic dicam de suavitate morum eius, nil de urba-  
 nitate, comitate (quamquam, o di boni –): de eis  
 agendum est, quae sunt immortalia. is igitur Ianus,  
 ut verum confitear, divinitus mihi missus videtur,  
 studiis Latinis ut auxilium ferret, quo effloresce-  
 rent iterum priscumque recuperarent vigorem.  
 scripsit enim opera plurima, quibus poetarum Latini-  
 norum verba musicis modis hodiernis accommoda-  
 vit. idque docuit facilime fieri posse. nam cum  
 huius aetatis ars musica non solum vulgares illos  
 numeros agnoscat, quibus omnia aut in quaternas  
 aut ternas partes dividuntur, sed ampliore quadam  
 utatur in numeris licentia eosque etiam non raro  
 mutet, eam ob causam veteres illi numeri, quos  
 poetae Latini olim adhibebant, nunc modis com-  
 modius exprimi possunt. nec necesse est pluribus  
 hoc docere. inspicite librum: videbitis, quanta arte  
 Ianus non solum veterem artem metricam susci-  
 terit, sed etiam nova, adhuc inaudita ipse inven-  
 erit. quid quod haec cantica Latina, si omne opus  
 Iani spectatis, nil nisi nugae sunt (quamquam nu-  
 gae canorae, ut ait Horatius)! maxima ille et pul-  
 cherrima conscripsit cantoribusque, choris, organis  
 singulis aut symphoniacis destinavit. verba autem  
 sumpsit cum e poetis nobilissimis, tum e prosae  
 orationis scriptoribus: Ciceronem, Senecam, Cae-  
 sarem ipsum modis donavit; Apicum artis coqui-  
 nariae magistrum cantu suavi praecepta dare iussit;

(1) De vita certiores fieri poteritis ex eis quae scripsit Otto Tonetti, in  
 opere »Die Musik in Geschichte und Gegenwart«, vol. 16 (suppl.  
 1979), col. 1415–1416. ibi etiam nonnulla opera enumerantur. ipse

pauca dixi de eius vita et operibus in statione radiophonica Bavaria  
 (die 19 m. Nov. A. D. 1984), quae nunc leguntur in periodico, cui  
 nomen est »Vox Latina«, tom. 20, 1984, p. 490–491.

Hrosvithae Gandershemensis fabulam, »Dulcium« dico, mutavit in comoediam musicam et scaenae hodiernae aptam reddidit. vix ullum genus in Latinis litteris invenietis, quod non cultum a Iano modisque illustratum sit. nemo umquam musurgus tam varie ac tam Latine modulatus est.<sup>(2)</sup>

Et cur haec opera adhuc paucis nota sunt, raro discuntur, eduntur, vix veniunt in odea et theatra? non aliam ob causam quam quod Latina sunt. hunc autem sermonem musici hodierni, nisi qui victim ex ecclesia quaerunt, parum neverunt ac paene contemnunt; nos autem, qui humanitatem ac litteras profitemur, thesauros ipsos, qui nobis commendati sunt, in scholis iacere ac senescere malumus. commentariolos de illis scribimus doctissimos, chartis inhiamus, discipulis molesti sumus: minime aut parum curamus, ut divinorum scriptorum opera nota fiant hominibus, ut Latinus sermo in publico usu sit, ut cantibus celebretur et recitationibus. quibus artibus si qui student, non numquam pro scurris habentur alienis a vera doctrina, quae pulvarem lambit. inter quos tamen Goethe noster certe princeps est, quem mirati sunt ...

Scr. Monachi m. Ian. A. D. 1985

daß ich die Alten nicht hinter mir ließ, die Schule zu hüten,

daß sie nach Latium gern mir in das Leben gefolgt.


Latine reddam, ut melius intellegatis:

quod veteres non deserui liquive magistris,

in Latium et vitam quod comitantur iter. vos autem, lectores optimi, meliores partes suscepistis. una mecum Iani nostri mele dulcissima cantabitis, providebitis sermonis Latini gloriae. sed hoc velim credatis mihi: augebitur in dies numerus noster, novae semper voces accendent. iam audire mihi videor immensum quandam cantorum chororum eorum, qui omni ex orbe terrarum, omnibus e gentibus confluxerunt, Latinis Camenis ut vocibus serviant. o saeculum, o litterae! iuvabit vivere.

Quid? iam delirare vobis et furore poetico abrepitus bacchari videor? sobrium addam praeceptum. si quid horum carminum difficilius esse primum nec statim buccae convenire videtur, nolite accusare Ianum aut Musas. vos vocate Amorem magistrum: is etiam hanc vos musicam docebit. cantate et valete.

Wilfried Stroh




Rudens



RUDENTIS operis cinematographici omne genus videocasetarum peti potest  
Litteras interrogatorias ad Melissam mittantur.

Quo opusculo, quod conscripsit Gaius LICOPPE et diligenter emendavit Dr P. Caelestis Eichenseer, adumbrantur geographia et historia litoris Belgici. Pretium est 120 Fr.B. inclusis sumptibus cursualibus.



## MELISSAE EMISSIONES LATINAES

Prima phonocaseta unius horae perfecta est.  
Si quis nunquam Latine loqui audiverit, auscultet complures locutores ex diversis regionibus oriundos. Materia est varia. Praecipue tractatur de primis emissionibus radiophonicis Latinis et de Ludis Latinis Augustanis. Pars etiam dedita est textibus classicis.  
Pretium phonocasetae est 250 Fr. B., inclusis sumptibus cursualibus.

LATINE LOQUI



Hoc adhaerenti pittacio significare poteris te Latinitatis Vivae cultorem esse. Unus venit 50 Fr.B. - Tres veneunt 100 Fr. B.

Pecunia solvenda mittatur ad computum mandatorum cursualium Bruxellensem (C.C.P. Bruxelles), cui titulus "AMICI MELISSAE" et numerus 000-1484533-45.